



**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXI. Episcopum propter cura[m] animarum, quam gerit, tùm & alia, quæ
quotidiè occurrunt, negocia, perpetuò præsentem esse debere suæ
Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

mondi, siue potius, propter suam quietem, uti legitur apud Reginonem *lib. 1. de Eccles. disciplin. c. 5.* ad remotiora loca secedere, & ministerium negligentes, proprias deserere civitates. Solebant enim illi quandoque, ut otio indulgere possent, & fastidia, quæ ex officio quotidie resultabant, declinant, ad remotiora suæ diœceseos loca, & parochiam aliquam rusticanam se conferre, ibiq; retrahere se ab negociis quotidie emergentibus, & transdere in otium delicatum admodum, & ad voluptatem corporis maxime accommodatum. Idque jam ante seculo exeunte IV. prohibitum erat in Concilio Carthaginensi V. c. 5. Placuit, ut nemini sit facultas, relictâ principali cathedrâ ad aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propriâ diutius, quam oportet, constitutum curam, vel frequentationem propria Cathedra negligere. Nec dubito plurimos alios in eandem rem in diversis conciliis editos fuisse canones, quorum contemptu commotus Karolus M. specialem istam edidit constitutionem, quæ habetur *lib. 1. capitular. cap. 41.* Ut non liceat Episcopo principalem cathedram suâ parochia negligere, & aliquam Ecclesiam in suâ diœcesi magis frequentare.

VIII. Uti verò fieri plerumque solet, ut in fraudem legis novæ excogitentur rerum formæ, quibus obligatio legis eludi queat: ita etiam circa hunc articulum contigit, cujus vis ut infringeret, in subsidium vocare oportuit corruptelam aliam. Hanc enim fini, ut ne divellerentur ab otio Episcopi, quod maxime amplexabant, valde aucta & ampliata fuit potestas Chorepiscoporum. Idque haud obscure innuit dicti concilii Meldensis canon quadragesimus quartus in verbis: *Nam si Episcopus civitatis propter desidiam, aut secularem pervagationem, vel propter infirmitatem modum suum Chorepiscopis transcendere consenserit, &c.* Nec minus perspicue eorum originem exponit Hincmarus Remensis *epist. 45. n. 16.* Sicut & quidam Episcopi etiam à longè precedentibus temporibus scandalum pro suâ quiete & voluptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes Chorepiscopos, & eis, quæ summis Pontificibus conveniunt, agere permittentes. Sed enim de Chorepiscoporum origine, statu & conditione sufficienter dixi *libr. 1.*

CAP. XXI.

*Episcopum propter curam animarum, quam gerit, tunc
& alia, quæ quotidie occurrunt negocia, perpetuò presentem
esse debere suæ Ecclesie.*

I.

Diximus in capite antecedente, tam negociosum esse officium Episcoporum, ut non admittat otium, nec excusari proinde posse, qui delictis.

his indulgentes, officium id negligunt, & in alia omnia divertunt. *Attendite*, inquit Apostolus *Actor. XX, 28*, vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI. Quomodo autem attendere, quomodo regere poterit, qui non est præsens? Attendere non convenit in absentem, sed in præsentem: non potest attendere sibi, nisi sit apud se & secum habitet: sic neque gregi, nisi apud eum fuerit. Pari modo nec absens ποιμαίνει poterit, h. e. pascere, regere & dirigere gregem. Hoc enim est officium Episcopi & in hoc consistit conditio ejus ποιμαντική, ut fide credenda proponat & explicet, à viâ perditionis corruptorumque morum monitis, consiliis, & interminationibus, censuris quoque revocet, & in viam salutis reducat.

II. Eleganter istud officium describit ipse Deus *Ezech. XXXIV, vers. 2*. ex neglectibus & vitiosis actibus officio isti planè contrariis. *Va*, inquit, pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos; nonne greges à pastoribus pascebuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod egrotum, non sanastis, quod contractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quaesistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et disperse sunt oves meae, eo quod non esset pastor, & facta sunt in devorationem omnium bestiarum agri & disperse sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelsò, & super omnem faciem terra disperse sunt greges mei, & non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea &c. Describuntur hic illi, qui neglecto officio pastorali non attenderunt gregi, nec præsentes fuerunt ei, sed functionem suam deseruerunt prorsus, de seipsis tantum solliciti, & sibi benè cupientes.

III. Ipsa natura & conditio officii, quod quis gerit, manifestè ostendit, non posse id expediri, nisi à præsente, cui ejusdem præstandi cura incumbit. Quis, nisi mentis inops, in dubium vocabit, utrum janitor, cui cura fores claudendi recludendique commissa est, ad januam adsistere debet? cui navis gubernatio incumbit, an ad clavum sedere oportet? ait Dominicus Soto *de resid. cap. 5*. Utique enim qui alicui officio præfectus est, ipse per se explere illud debet, præsertim si industria personæ causam ei officio, ut præficeretur, dederit. Industriam autem personæ in electione Episcopi attendendam esse, supra ostendimus. Nec ergò audiendi sunt illi, qui putant satis consultum esse Ecclesiæ, & officio Episcopi abundè satisfieri, si istud expediatur per vicarium. His enim optimè respondet Maldonatus *in summ. qv. 10. art. 3. 5. 6*. Nomen pastoris significat actionem pastorem, sicut nomen medici. Itaq, sicut nemo potest per alium curare: ita nemo potest per aliam suas oves pascere. Nec quicquam valet responsio communitis, satis esse

esse per vicarium laborare, quia per eandem regulam satis esset manducare per alium, quia sic scriptum: *Qui non laborat, non manducet.*

IV. Non malè igitur in genere Clerici colonis adscriptitiis comparantur in Concilio Hispalensi II. *can. 3.* Scribitur in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi esse quisq; jam cœpit, ibi perduret. Non aliter & de clericis, qui in agro Ecclesiæ operantur, canonum decreto præcipitur, ut ibi permaneant, ubi esse cœperunt. Sic enim docent Jcti, colonos ita glebis inhærere debere, ut nec puncto quidem temporis debeant, amoveri, *ex l. 15. C. de agricol. lib. XL.* Et propterea pars fundi esse censentur, ita ut nec pacto valeant inde amoveri. Joh. Euchar. Erhard. *de oper. rusticor. conclus. 5. circa fin.* In hunc ergo modum etiam Clerici Ecclesiæ suæ ita se addictos persuasum habeant, ut nullâ ratione ab illâ divelli debeant. Et hæc namque fuit causa, cur tam severe in antiquis canonibus prohibitum fuerit, ut à civitate in civitatem nec Episcopus, nec presbyter, nec diaconus transferatur, ut legitur in *can. 15. Concilii Nicæni.* Et huc etiam pertinet similitudo, quam ex conjugii carnalis indissolubili nexu petierunt veteres Ecclesiæ patres, dum Episcopum Ecclesiæ suæ perinde ut maritum Uxori conjunctum esse statuunt.

V. Justè igitur, reprehendit Pigenium sive Pimenium Episcopum Amalphitanum Gregorius Magnus *lib. 5. epist. 23.* quod tam infrequens esset Ecclesiæ suæ, & vagari huc illuc haud desineret, quem propterea coercendum esse rescribit Anchemio subdiacono apud Gratianum *c. pervenit, 7. q. 1.* Pervenit ad nos Pigenium Amalphitanæ civitatis Episcopum in Ecclesiâ residere non esse contentum, sed foris per diversa loca vagari. Idcirco hæc tibi auctoritate præcipimus, quatenus hoc de cætero facere non præsumat, sed in Ecclesiâ suâ sacerdotali more resideat, quem si fortè non emendari post tuam interminationem cognoveris, in monasterium eum deputare, & nobis modis omnibus curabis indicare: ut quid facere debeas, nostra iterum præceptione cognoscas. Quos enim coerceri debere putavit medii ævi antiquitas, eos in monasteria detrudi curabant. Et videtur iste coercendi modus admodum accommodatus Episcopis huc illuc vagantibus, quod ex monasteriis non esset libera exeundi potestas, & sic satis concussa atq; fracta esset eorum licentia.

VI. Cùm verò nihilominus non cessarent Episcopi ab suis Ecclesiis divertere, suoque se officio defunctos putarent, si in diocesi suâ permanerent, etsi Ecclesiæ Cathedrali non adessent semper, nec in eâ perpetuò residerent, noluerunt id permittere Ecclesiasticæ disciplinæ Rectores, sed editis in eam rem decretis graviter id detestati fuerunt. Adduximus in *cap. antecedente* ex Concilii Carthaginensi V. *canonem 5.* quo prohibitum fuit, *ne quis relicta principali cathedrâ ad Ecclesiam aliam in suâ diocesi*

cesi constitutam se conferat. Ei conformis est canon duodecimus Concilii Aquisgranensis II. quem repetiit Karolus Magnus *capitular. lib. 5. c. 177.* Comperimus etiam, quosdam socios ordinis nostri, non causâ necessitatis aut utilitatis, sed potius avaritiæ & propriæ delectationis sepius propriâ civitatis suæ sede relicta; cleroq; neglecto, remotiora loca frequentare: de quâ re & destitutio divini cultûs, & prædicatio in plebibus, & cura subjeutorum postponitur, & hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius à quoquam, sine inevitabili necessitate & certâ utilitate fiat, pari consensu inhibuimus. Sunt enim diœceles quorundam Episcoporum tam amplæ, ut, quid in Cathedrali contingat Ecclesiâ, in extremis oris ægrè & serò nimis compertum habere liceat, cum tamen talia sæpè incidant negocia, quæ omnia facilius, quàm moram pati queant.

VII. Sed enim, quia, ut audivimus, necessitas & utilitas Ecclesiæ excipitur, propter quam Episcopo suscipiendum aliquod iter fuerit, ipsa etiam privata quandoque ejus negocia alibi subsistere illisque superesse jubent, variè disceptatum fuit, quosque Episcopo absenti ab Ecclesiâ suâ esse liceat: *Ultra tres hebdomadas* Episcopum abesse suâ ab Ecclesiâ prohibuit Concilium Eliberitanum *can. 21.* *ultra quindecim dies*, Leo Magnus *epist. 84. c. 10.* Tres tamen istæ hebdomades, & ni fallor quindecim etiam isti dies non debuerunt solennium festorum tempora occupare atque impedire. Id enim constitutum legitur in Concilio Agathensi *can. 64.* *Si quis in Clero constitutus ab Ecclesiâ suâ diebus solennibus defuerit, id est, nativitate Domini, Epiphania, Pascha vel Pentecoste, dum potius secularibus lucris studet, quam servitio DEI pareat, convenit, ut triennio à communione suspendatur. Similiter diaconus vel presbyter, si tres hebdomadas ab Ecclesiâ suâ defuerint, huic damnationi succumbant.*

VIII. Haud paulo liberalior fuit Justinianus Imperator, qui integram annum concessit Episcopo, ut absenti esse liceret. Et hoc ipsum tamen propter misericordiam, uti ait, hoc est, ex benignitate. Nec etiam ex causis promissuè omnibus id permissum esse voluit, & ne quidem ex illis, quæ Ecclesias ipsas attingere dicuntur, quod eas per Clericos sibi subjeptos, aut apocryfiarios aut Oeconomos expedire oporteat. Ex quo sequitur, raro admodum contingere posse, ut per integram anni spacium Episcopi absentia continuari queat. Verba Constitutionis *novell. 6. c. 2.* ita habet: *Et illud etiam definimus, ut nemo DEO amabilium Episcoporum foris à suâ Ecclesiâ plus quàm per totum annum deesse audeat, nisi hoc per Imperialem fiat jussionem: (tunc enim solum erit inculpabile) sacratissimis patriarchis uniuscujusque diœceos compellentibus DEO amabiles Episcopos suis inherere sanctissimis Ecclesiis: & non longo itinere separari, neq; in peregrinis demorari velle, neque sanctissimas Ecclesias negligere, neq; annum excedere, quem & ipsum propter misericordiam consti-*

constituimus. Si verò ultra annum erraverit, & dereliquerit, & non ad Episcopatum remeaverit proprium, neq; imperialis aliqua eum, sicut prædiximus, detineat jussio, tunc, si quidem sit metropolita, circa Ecclesiasticam dispositionem segregatum regionis illius patriarcha revocet quidem cum legitimis inclamationibus, servans ubiq; sacrarum regularum observationem. Si verò maneat per omnia inobediens, expellatur à sacro Episcoporum choro, & alium introducat hujusmodi & reverentia & verecundia & honestate dignum. Si verò non metropolita, sed aliorum Episcoporum aliquis sit, qui erraverit: hæc omnia à metropolitâ fiant &c.

IX. Ut autem excusata magis sit, nec ratione destituta videatur ista Episcopi absentia, idem Justinianus novellus 123. c. 9. non aliter eam permitti voluit, nisi ex præscitu & consensu superioris, adeoque præviâ causæ cognitione aliquali. Interdicimus, inquit, DEO amabilibus Episcopis proprias relinquere Ecclesias, & ad alias regiones venire. Si verò necessitas faciendi hoc contigerit, non aliter nisi cum literis beatissimorum Patriarchæ aut Metropolitæ aut per Imperialem videlicet jussionem hoc faciant: ita tamen, ut nec illis Episcopis, qui sub beatissimo Archiepiscopo Constantinopoleos & Patriarchâ fuerint, liceat citra permissionem ejus aut nostre jussionis, ad regiam civitatem venire. Si verò etiam secundum hunc modum Episcopus cujuscunq; loci profectus fuerit, non amplius uno anno suam relinquat Ecclesiam. Episcopos autem in regiam civitatem, sicut dictum est, venientes, cujuslibet fuerint diocesis, præ omnibus ire ad beatissimum Archiepiscopum Constantinopoleos & ad Patriarcham, & ita per eum ad nostram introire tranquillitatem &c.

X. Ex his intelligi potest, quid sibi velit fragmentum epistolæ Paulini Episcopi Aquilejensis ad Karolum Regem, dum reprehendit Rectores Ecclesiarum, quod contra divinam voluntatem & sacram institutionem atque Apostolicam & Canonicam auctoritatem non tribus saltem hebdomadibus, sed multo tempore ab Ecclesiâ sibi commissâ dimissis propriis sedibus & plebibus, postposito divino consilio & auctoritate, postpositâ etiam prædicatione, doctrinâ, correctione, spiritus paracleti assignatione, & sacrâ sancti chrismatism consecratione, omnique sacrâ institutione, in retractabiliter abesse non erubescunt. -- Hinc est, quod nec præcipuis festivitibus & solennitatibus anni, nec saltem diebus quadragesimæ observationis, qui salutis & penitentia consecrati sunt, & magnâ devotione transigi debent, in quibus specialiter circa animarum procuracionem propensius, & attentius invigilare debemus, in propriis non meremur residere parochiis ac civitatibus, pro quo & destitutio divini cultûs & prædicationis in plebibus & cura subjectorum negligitur, præsertim cum nec sacerdotali ministerio hujusmodi congruant discursus, nec canonice sit auctoritatis &c.

XI. Memorabile sollicitudinis Episcopalis exemplum præbuit Aldricus Cenomanensis, qui, cum ab Ecclesiâ suâ sæpius absens esse cogeretur propter avocationes Ludovici Imperatoris, supplici voce petiit, ut sibi li-

ceret domi in Ecclesiâ suâ subsistere, & rebus divinis atque Episcopali officio vacare, alia autem negocia, tum & itinera ab Imperatore commissa per Oeconomum expedire. Idque haud difficulter concessisse Imperatorem ostendit diploma super eâ re confectum, cuius inter alia hæc sunt verba: *Aldricus venerabilis Cenomanicæ Urbis Episcopus innotuit celsitudini nostræ, quod multa ex his, quæ in suâ parochiâ agere debebat, & ad suum ministerium pertinebant, propterea quod jam assidue in nostro servitio, vel etiam nobiscum detentus tamdiu commorabatur, neglecta erant tam in prædicatione seu confirmatione atque doctrinâ, quàm & in restauratione Ecclesiarum, vel pravorum hominum correctione, sive in aliis atque in aliis Ecclesiæ sibi commissæ utilitatibus, & Cleri vel populi necessitatibus. -- Lacrymabili quoque vultu coram nobis & fidelibus nostris asserbat, quod si aliter ad suum peragendum ministerium otium à nobis impetrare non posset, magis vellet honores sibi collatos dimittere, quàm clerum & populum sibi commissum negligere, & propterea, quod absit, in perditionem incidere. Quapropter humiliter deprecatus est nostram clementiam, ut liceret ei juxta canonicam auctoritatem habere Oeconomum, qui pro illo exteriores curas gereret, & nostra servitia atque itinera, prout melius possit, suâ vice faceret, & prædictus Episcopus ad ea, quæ DEI sunt intenderet, & ad suum ministerium perficiendum certaret. -- Concedimus memorato Pontifici per has auctoritatis nostræ literas, quas ei fieri iussimus, concessumque in futuro esse volumus, ut præfatus Episcopus quietè, dum voluerit, in suâ resideat parochiâ, & pro nobis & pro commisso nobis à DEO populo Dominum exoret, suos verò homines cum suo Oeconomo, vel quemcumq; elegerit, ubicumq; nostra fuerit jussio, vel necessitas ingruerit, dirigat &c.*

XII. Quod si omninò peregrè abesse Episcopum oporteat quandoque, laudabilis admodum erit illa absentia, quæ præsentem sibi animo semper habet gregem suum, ita ut corpore quidem absens sit Episcopus, spiritu verò & curâ atque sollicitudine semper populo sibi subiecto præsto sit. Talis fuit Gregorius Nazianzenus, dum ait: *Regressus sum, à vobis non quidem abstractus, sed retractus, affectu spiritûs nos agente ad vos. Ego cum præsens essem, minus ex affectu sensi laboris, cum verò jussus sum abstrahi ac separari, sensi tunc amorem veluti dulcem quendam tyrannum &c.* Itemque Ambrosius: *Eram sollicitus in dies singulos, quemadmodum festinanter quotidie ad Ecclesias veniretis: & quanquam essem de vestrà devotione securus, trepidabam tamen, quia hoc ipsum, quod in vobis noveram, non videbam. Eram de vobis anxius, mœsus & trepidus, ne quis me absente, per negligentiam caderet, ne quis diaboli insidiis laberetur. Ne vos mea contristet absentia corporalis, nam spiritu & cordis affectu puto vos non dubitare, nullo modo me à vobis posse discedere.*

XIII. Applicari hic optimè poterit, quod de præfide provinciæ constitutum scribit Marcianus Jctus in *l. 15. ff. de offic. præsid.* eum ne quidem voti solvendi gratiâ abnoctare posse extra fines suæ provinciæ. Ratio est, ne interea, dum religioni vacat quasi securus, à seditiosis turbæ excitentur, & periculo exponatur provincia. Quod factum aliquando refert Antonius Mornacius *ad d. l.* Sic & ex jure navali Rhodiorum constat, ad nautam vel exercitorem pertinere periculum navis, quæ perierit illo extra navim dormiente, uti id legitur ad calcem *lib. 2. Juris Græco-Romani num. 26.* ut adeò non liceat nauclero extra navim dormire. An verò putabimus, minori cum curâ præesse debere Episcopum provinciæ vel diœcesi suæ, aut navi Ecclesiæ, cujus regimen ei commissum est? Imò verò, quanto gravius periculum est unius in quavis Ecclesiâ particulari animæ, periculo corporis aut salutis publicæ in imperio civili, tanto major exigitur circumspèctio & sollicitudo, tantoq; minus excusari poterit absentia Episcopi, aut iter præter necessitatem susceptum. Unius certè Ecclesiolæ cura gravius olim existimabatur onus, quàm ut quisquam vel prudentissimus ei ferendo par esse queat.

CAP. XXII.

De Episcopatibus, qui in Orbe Terrarum passim existunt.

I.

AB eo tempore, quo Ecclesia fundari cœpit, extiterunt illicò, qui Episcoporum officio fungerentur, etsi eo nomine non venirent semper, neque characterem istum, qui hodie illis quasi proprius est, sustinerent. Ignatius, Polycarpus, & qui istis cœvi fuerunt, vel planè non, vel admodum rarò, quanquam essent tales, Episcopos se dixerunt. Postquam verò incrementa accepit Ecclesia subinde majora, frequentiore etiam usu invaluit istud nomen, ut insigniorum Ecclesiarum Rectores penè omnes Episcopi dicerentur. Factum inde, ut ætate Constantini, quâ tranquilliore statu fruebatur Ecclesia, ad Concilium Nicænum convenirent Episcopi ultra bis mille, si Scriptoribus Arabicis fidem habere liceat, quos adducunt Johannes Seldenus *ad Eutychii origines Alexandrin. pag. 83.* Joh. Henr. Hottinger. *in histor. Orient. lib. 2. c. 2.* Guil. Bevereg. *ad Concil. Nicæn.* Quanquam & vulgaris atque receptissimus istorum Episcoporum trecentorum octodecim numerus satis ostendat Ecclesiarum insignem copiam atque ubertatem. Hinc adeò cum singuli suas haberent diœceses, facile colligi potest, quantis spatiis circumscriptus tùm temporis fuerit Orbis Christianus.

13

II. Nec